



Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 48. Scientiam practicam, & experimentalem magis conferre ad amorem, quàm speculativam

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

in spiritu & veritate adorare, & diligere; quod tunc rectè & purè fit, cum ipsum singulariter diligimus propter se, suamque summam bonitatem, nullo modo ad nos ipsos, nostraque commoda & delectationem respicientes.

§. XLVIII. *Scientiam practicam & experimentalem magis conferre ad honorem, quàm speculativam.*

Sicut rusticus omnis doctrinæ & literarum expertus, qui solem quotidie cernit, ejusque luce & calore fruitur, lumen intensius diligit, quàm cæcus multa scientia præditus, qui de luce ejusque causis & effectibus plura didicerit ex placitis Philosophorum: ita Deum magis diligit simplex & pius homo ex cognitione practica fidei, quàm subtilissimus Theologus ex sola speculatione. Sicut etiam vir doctus & eruditus in regione septentrionali, in qua nullæ sunt vites & nemo vinum bibit, de vineæ cultura, deque vini potu, ejusque effectibus & proprietatibus copiosè poterit & acutè differere: sed quia vinum nunquam gustavit, practicè nesciet quid sit vinum, quomodo lactificet cor hominis, quomodo inebriet; nec eam vini notitiam aliquando assequetur, quam rusticanus vinitor habet, qui vinum quotidie bibit: ita planè contingit, ut aliquis de plebe, qui nec legere quidem noverit, aliàs de Deo rebusque divinis scientiâ experimentali loquatur, quam vir magni nominis, qui totum vitæ suæ tempus in studiis Theologicis consumpsit. Experientia siquidem speculationem, amor scientiam excedit; multoque facilius pervenitur ad Deum affectu, quàm cognitione. Omnes igitur animæ vires affectui potiùs & orationi, quam doctrinæ applicare oportet, si ardentissimum Dei amorem citiùs consequi desideramus. Amore potiùs quàm scientiâ sublimiorem Dei notitiam comparamus, quia amor ipse notitia est & amando vehementiùs in contemplatione defigimur, per quam clariùs atque splendidius eum intuemur. Ipsum amando minus laboramus, illi magis obsequimur; nam cognitio quam de illo consequi pos-

sumus , in hoc exilio certis & angustis limitibus conclusa est ; amare autem possumus quantum volumus , quantum scilicet ipse dederit , qui sine modo amari desiderat ; nec ullus amor terminus præfixus est. Plerique tamen stulto errore decepti ; malunt semper quærendo numquam Deum invenire , quàm amando possidere

§. X L I X. *Veram sanctitatem in amore Dei consistere.*

Mandatum habemus à Deo ut simus sancti : ait enim : *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Levit. 11. 45.* Est autem sanctitas ab omni labe libera & omnino perfecta & omni ex parte immaculata puritas. Sicut enim res omnes ex mistione peioris & inferioris sordes contrahunt & polluuntur , ut argentum ex mistione plumbi, vestis aspersione luti : ita anima impura fit & immunda cum rebus infimis adhæret , nec prorsus pura ac sancta esse potest , nisi à cunctis rebus creatis avulsa sit. Consistit igitur sanctitas in omnimodâ puritate & in immobili cum Deo unione , quæ arctissimo amoris nexu perficitur ; cum expurgata anima ab omni rubigine terrenorum affectuum , cunctisque rebus celsior eam justitiæ perfectionem adeptæ est , ut verè & securè audeat dicere cum Apostolo : *Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames; an nuditas; an periculum; an persecutio; an gladius? certus sum enim quia neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Rom. 8. 35.* Ieiunia , eleemosynæ , castigatio carnis , usus Sacramentorum & aliæ ejusdem generis exercitationes ad consequendam sanctitatem plurimum valent , sed sine charitate nihil profunt , quamvis in cibos pauperum omnes facultates distribuantur & proprium corpus igni tradatur , ut docet Apostolus. *1. Cor. 13. 3.* Potest etiam in aliis virtutibus aliquando dispensatio locum habere , quoniam infirmi à jejuniis , pauperes à danda elec-